



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**PSALTE=||RIVM DAVIDIS || CARMINE REDDITVM || PER  
EOBANVM || HESSVM.||**

**Hesus, Helius Eobanus**

**Lipsiae, 1557**

**VD16 B 3198**

Psalmvs CXLVII. Laudate Dominum quoniam bon.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69301](#)

## PSALMVS CXLVII.

Laudate Dominum quoniam bon.

## ARGUMENTVM.

Est gratiarum actio, pro beneficijs Dei  
spiritualibus & corporalibus, quæ longa  
oratione commemorat.

Qui pascit bonitate suos, & corda piorum,  
Qui fructu steriles ubere ditat agros.  
Qui pacem regnis, qui bella dat, ille ferendus  
Laudibus, huic gratos nos decet esse Deo.

Halleluia.

## Propositio.

**E**dite, fratre hilares Domino noua munera laudum,  
Nam pulcrum est merita dicere laude Deum.  
Ipsius eximio Psalmos cantemus honori,  
Pulcra etenim laus est, & decet ipsa Deum.  
Narratio, beneficia spiritu  
alia primo loco commemo-  
rat, qd seruat  
& consolatur  
Ecclesiam.

Restituet Solymas Dominus, dispersa reducit  
Membra, Israëlem colligit ille suum.  
Qui læsis animos, & fractis corda, medetur,  
Duraq; præsenti uulnera sanat ope.  
Qui cœlo fixos astrorum suppedit ignes,  
Omnibus & stellis nomina certa dedit.  
Magnus ut est Dominus, sic uirtus maxima, cuius  
Summa, modum nullum, uis rationis habet.  
Mansuetos è sorde leuat, de sede superbos  
Deiscit, & terræ trudit ad ima malos.  
Alternis cantate Deo, date iubila laudum,  
Stringite uocalis plectra canora lyrae.

Humida



Humida qui toti prætendit nubila cœlo,  
 Ut pluuiæ terris præcipitentur aquæ.  
 Quis summis faciles in montibus educat herbas,  
 Et steriles colles pascua lœta facit.  
 Qui sua iumentis dat pabula, dat sua pullis  
 Coruorum, querula quando ea uoce uocant.  
 Non huic robur equi placet in fera bellaruentis,  
 Non iuuat hunc fortis tibia crassa uiri.  
 Ipsum qui timuere placent, hos diligit ultro,  
 Quicunq; ipsius spem bonitatis habent.  
 Effer laude Deum, Solymorum urbs inclyta regum,  
 Alma Sion Domino gratificare tuo.  
 Portarum uectes corroborat ille tuarum,  
 Et uario ciues ditat honore tuos.  
 Qui placidam statuit tua per confinia pacem,  
 Et tribuit pueris optima farra tuis.  
 Ille suum terras uerbum dispersit in omnes,  
 Ipsius ut pena præpete iussa uolant.  
 Non secus ille niuem quam lance uellera mittit,  
 Cum iubet, ut cineres, sparsa pruina iacet.  
 Qui glaciem ceu frusta iacet, dum grandine fecuit,  
 Tanta quis ipsius frigora ferre queat?  
 Mandat sua iussa et protinus ista liquefcunt,  
 Conuerit uentos, et fluit humor aquæ.  
 Qui decreta Israëli sua nunciat, ipsi  
 Iussa quibus fidas magne Iacobetibi.  
 Talia facta Deus non Gentibus ededit ullis,  
 Nec notas leges fecit habere suas.

Beneficia corporalia communia toti crea-  
turæ.

Hoc est, Domi-  
nus haec ultro  
& gratis dat ti-  
mentibus eum,  
non ijs qui pre-  
sumunt de suis  
uiribus.

Hæc propria  
sunt populi  
Dei.  
Pax.  
Annona.

Commoda  
tempestas.

Donum uerbi  
in populo san-  
cto.